

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

testationes contra Concil. Trident. prolatas adducit Innocentius Gentilettus
Jctus Delphionensis in Exam. Conc. Trident. lib. V.

(2) *Communem omnium querelam complectitur Espencus commentar. in Epist. ad Tit. cap. 1. p. 473. Factum est posterioribus seculis, ut quod merito in Concilio Basileensi Ludovicus Arelatensis querebatur, in Concilio id idem fiat, & necessario fiat, quod nationi placeat Italica, & qua sola Episcoporum, qui & ipsi soli vocem illic decisivam habent, numero nationes alias aequet aut superet, sicut scripsit lib. 1. de gestis ejus concilii Aeneas Sylvius nondum Pius. Hac est illa Helena, que nuper Tridenti obtinuit.*

§. V.

In ipso autem Concilio Tridentino multa esse contra libertatem Ecclesiae Gallicanae definita, adeo non diffidentur Galli, ut passim ea de re tanquam de injuria sibi illata conquerantur. (a) Atque haec causa fuit, cur publicam ejus receptionem in Gallia recusarint, licet saepius & serio eo nomine a Pontifice rogati fuissent. Neque vero in sola disciplina Ecclesiastica vel moribus pugna est, sed & in doctrina & fide, quod contra secus sentientes postea ostendam. (b)

(a) *Qui historiae Gallica Scriptores evolvit, passim reperiet eas, de quibus dixi, querelas. Thuanus, Pleixis alique in hoc argumento satis prolixi sunt. Et in istis voluminibus, quae Parlamenti acta publica continent, haec quoque materia saepius occurrit; ne quid dicam de actis Cleri Gallicani, in quibus ea de re non poterat esse silentium. Nimis longum foret ea commemorare, quae legenti observata fuerunt.*

(b) *Ubi pugna est inter Concilii decreta & Ecclesiae Gallicanae libertates, Galli nonnunquam se jure divino & Scripturae dictis tuentur, nec dicere dubitant, pugnare illa decreta non tantum cum libertate Ecclesiae suae, sed & cum verbi divini auctoritate; at quod tale est, ultra se porriget quam ritus & consuetudo.*

§. VI.

Ceterum quam late pateat ille dissensus, Historiae Gallicae Scriptores memorant, quamvis in recensione capitum & in numero controversiarum paulum discrepent. Viginti duos articulos Thuanus adducit, in quibus aperta sit inter Concilium Tridentinum & Ecclesiam Gallicanam pugna; in quorum enu-

mera-

meratione, ut erat vir cordatus, non diffimulat, Patres Tridentinos multa in odium Gallorum, & Romanæ curiæ gratiam citra Scripturæ & antiquitatis fundamenta definivisse. Verum Du Pleix in Historia Franciæ viginti sex articulos exponit, qui libertati Ecclesiæ Gallicanæ repugnare visi sint, qui tamen fere omnes ad idem recidunt, quod ea de re memoriæ prodidit Thuanus, nisi quod alio ordine digesti & paulo accuratius propositi sint. Duo tamen capita adduxit, quorum non meminit Thuanus. (a) Alias ægre fert Concilium Tridentinum in Gallia nondum esse publicatum, eoque nomine repugnantes false reprehendit (b)

(a) Notatu digna sunt duo illa capita, de quibus dixi, apud Du Pleix in Histor. Franc. circa ann. 1593. sur la Session XXV. chap. XX. Ou le concile ordonne que tous les saints canons, conciles generaux, constitutions Apostoliques (c'est à dire faites par les souverains Pontifes) en faveur de personnes Ecclesiastiques, renouvelles & confirmées soient observées. Cela estant dit sans limitation n'est pas receu en France, ou telles constitutions, canons decrets ny conciles ne sont point receus en ce qu'ils derogent à l'autorité royale, aux droits du Royaume & libertés de l'Eglise Gallicane.

Sur la meme session chap. XXI. ou le même concile declare, que tout ce qui est ordonné en iceluy en quelques termes que ce soit touchant la reformation de mœurs & discipline Ecclesiastique, soit entendu sans déroger à l'autorité du S. Siege. Par ces termes l'autorité du concile en quelque sens semble estre soumise à celle du Pape: ce qui n'est pas approuvé en France.

(b) Il seroit tres utile & juste de faire publier ce concile, lequel comme j'ay dit ailleurs, merite le titre de concile des conciles, pour avoir decisi & éclairci plus d'articles de foy que tous les precedens ensemble: & parfaitement ordonné la discipline Ecclesiastique. Mais ceux qui possèdent plusieurs benefices incompatibles, & les autres, qui pour leur consideration s'y trouvent interessees, s'opposeront toujours sous d'autres pretextes à la publication de ce saint Concile.

Juvat adscribere Verba Thuani, lib. CV. in hist. A. C. M. D. XCIII. p. 320. edit. Par. A. 1620. quibus tota illa controversia de Concilio Tridentino exprimitur:

Facto comitiis initio prima de Concilio Tridentino consultatio fuit, quam præcipue urgebat Legatus Pontificius, ut qui citra ejus in regno sine conditione ulla promulgationem, religionem cujus causa bellum gerebatur, pos-

se constitui negaret. Re in deliberationem deducta V. Ejd. April. cum multi libertates ac jura & immunitates Ecclesiae Gallicanae & Regni causarentur, quibus factum esset, ut promulgatio Concilii antea toties proposita huc usque dilata esset, negotium datum Johanni Magistro, quem curiae praesidem Meduanus creaverat, & quibusdam aliis Viris probis, & a factione alienis, juris nostri peritissimis, qui Concilium inspicerent, & quae in disciplina, legibus ac moribus nostris praedjudicantia reperirent, adhibito judicio annotarent. Igitur haec ab illis observata, quae salvis juribus ac libertatibus nostris admitti non possent:

1. Quod sessione IV. sancitum est, de Auctoribus & impressoribus, quos vocant librorum prohibitorum, ut ii tanquam temeratores & violatores Verbi DEI, juris & arbitrii poenis per Episcopos coerceantur, id adversari edictis Henrici II. alteri quidem ad Fontem bellaqueum anno 1547. alteri ad Briandi castrum anno 1551. conditis, item Caroli IX. in Aureliani comitiis constitutioni factae anno 1560. & sexto post anno Molinii repetitae.
2. Quod sessione VI. cap. 1. Concilium Episcopos instituendi potestatem facit Pontifici, in Episcoporum contumacium locum, qui ad gregem suum adfidui non sunt, alios sufficienti, id nominationibus Regiis & pactis inter Leonem X. & Franciscum I. initis derogare.
3. Quod sessione VII. cap. 15. sessione XXI. c. 8. sessione XXII. c. 8. sessione XXV. c. 8. Episcopi tanquam a sede Apostolica delegati omnium tam in ultima voluntate, quam inter vivos piarum donationum executores, nosocomiorum, collegiorum item fabricarum & confraternitatum laicarum ac scholarum inspectores constituuntur, eisque jus de iis cognoscendi, fructus dispensandi ac sequestrandi, rationes exigendi, praeavos administratores & in munere suo negligenteis abrogandi, aliosque in eorum locum substituendi tribuit: at contra edictis Regiis anni 1544. & anni seq. 1560. & anni rursus sequentis rationum exigendarum, & hujusmodi rerum cognitionem Regiis Judicibus tribui, ne Regiae auctoritati derogetur, ad quam omnium rerum solam, quae ditioni suae subsunt, cognitio pertinet, cujusmodi nosocomiorum, fabricarum, Collegiorum & scholarum bona sunt.
4. Quod sessione XXIV. c. 5. conservatoriae literae ac conservatores judices omnino abolentur, sine distinctione, Regii an Ecclesiastici judices sint? hoc caput Regiae auctoritati in eo, quod Regios judices non excipit, derogare, et Senatus decretis in eo, quod Ecclesiasticos conservatores spectat, quorum jurisdictio ab illis confirmatur.
5. Quod eadem sess. c. 1. animadvertendi in clandestina matrimonia contrahen-

trahen-

trahentes & testes qui adfuerunt, Episcopis facultas datur, id esse contra usum inter nos receptum & Senatus consulta, quæ Ecclesiastico judici tantum de foedere matrimonii cognoscere licere decernunt: de aliis, ut de dote, de damnis & Interesse, de pœnis infligendis, non licere; nam de iis tantum iudices Regios pronunciare, idque Bloesensibus comitiis caveri.

6. Quod sess. XXV. c. 9. cognitio de patronatibus tam laicis quam sacris, Episcopis attribuitur, pugnare hoc cum jure nostro & Senatus consultis, quæ de patronatibus laicis cognitionem judici Regio tribuunt, sive de possessorio, sive de petitorio agatur, cognitionem item ei tribuunt, de petitorio reservata Episcopo cognitione.

7. Quod sess. XXI. c. 4. edicatur, ut illis sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens adsignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus: & si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam eorum sustentandam: id esse contra usum in regno receptum, qui nullum Episcopo in laicos jus tribuit, nisi in iis, quæ ad Sacramenta aliasque Spirituales pertinent, non autem in rebus soli, cujusmodi sunt alimenta.

8. Quod eadem sess. c. 8. mandatur Episcopis, ut Sacerdotiorum ædificia invitant, curentque etiam per sequestrationem fructuum, ut, quæ renovatione indigent aut instauratione, reficiantur: id pugnare cum Senatus consultis, quæ sæpius pronunciarunt de ædificiorum hujusmodi refectioe, tanquam de re soli, solos iudices Regios cognoscere ac statuere posse: Item cum usu apud nos recepto, qui pignorum ac sequestrandorum fructuum jus Ecclesiastico judici omnino interdicit, idque solis iudicibus Regiis aut aliis laicis concedit.

9. Quod sessione seq. c. 10. jus tribuitur Episcopis, ut possint in quoscunque Notarios, etiam si Apostolica, Imperiali aut Regia auctoritate creati fuerint, tanquam sedis Apostolicæ delegati inquirere, & examinatione adhibita eorum peritiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quomodocunque in munere suo delinquentibus ejus, in negotiis, litibus & causis Ecclesiasticis ac spiritualibus, exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere: id auctoritati Regiæ ac Magistratuum adversari, ad quos solos nec alios pertinet, munere suo Officialis Regios privare, aut ad tempus ejus exercendi usum prohibere.

10. Quod sess. XXIII. c. 6. Bonifacii VIII. constitutio confirmatur, qua clerici conjugati non bigami prima tonsura initiati jurisdictioni Episcopi subjiciuntur omnibus causis tam civilibus, quam criminalibus: hoc directe pugnare

cum

Cum auctoritate Regia & ipsius jurisdictione, atque adeo usu apud nos usurpato; quo conjugati ac soluti laici licet tonsura initiati, Episcopi jurisdictioni minime subjacent, nisi de Sacramento aut re pure spirituali agatur.

11. Quod sessioe seq. c. 8. coercitio contra concubenarios & adulteros tam viros quam foeminas Episcopis sive Ordinariis tribuitur: id pariter Regis auctoritati refragari, ejusque magistratibus, penes quos solos de concubinato & adulterio inter laicos cognitio est.

12. Quod sess. eadem, c. 9. Indulta s. nominationes, Collegiis, Universitatibus, Senatoribus aliisque personis singularibus concessa abrogantur, id in Senatus Parisiensis odium ac praedictum decretum esse.

13. Quod sess. XXV. c. 3. conceditur omnibus monasteriis ac domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci & Capucinorum, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia possidere eis liceat: caput illud mendicantium ordinationi pugnare, compluribus curiae decretis approbata ac confirmata, cui derogari non potest, quantum ad res soli spectat, cujusmodi immobilia sunt, nisi de expresso Regis mandato, ac per ejus diplomata in Senatu promulgata.

14. Quod ibid. c. 3. Synodus Episcopis concedit, ut in causis civilibus ad forum Ecclesiasticum quacunque ratione pertinentibus contra quoscumque etiam laicos per multas pecuniarias, s. per captionem pignorum personarumque distinctionem, per proprios aut alienos executores faciendam, etiam per privationem sacerdotiorum, aliaque juris remedia procedere & causas definire possint: pugnare hunc artic. directe cum usu apud nos recepto innumeris Senatus consultis confirmato, qui Ecclesiasticis iudicibus, quod nullum territorium habeant, sententiarum ac iudiciorum ab ipsis latorum executionem contra condemnatos per captionem pignorum aut personarum distinctionem interdicat, adeo, ut, quum his remediis uti volunt, brachii secularis opem implorare necesse habeant.

15. Quod eodem cap. edicitur, ut excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis s. subtractis rebus fieri solent non alias quam ex re non vulgari causaque diligenter ac magna maturitate ab Episcopo examinata decernantur, nec ad eas concedendas, cujusvis secularis etiam magistratus auctoritate adducatur; Sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum: item nefas sit magistratui cuivis seculari prohibere Ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet: id auctoritatem Senatus

tuum evertere, qui eo jure utuntur, & possunt, quum a sententia excommunicationis quasi abusiva, a judice Ecclesiastico lata appellatum est, mandare ac jubere, ut pendente appellatione excommunicatus ad cautelam absolvatur, ad idque faciendum & absolutionis beneficium impertiendum Episcopus s. ejus vicarius per pignorum captionem cogatur; nec in eo auctoritatem Senatum in dubium revocari debere ab Ecclesiasticis iudicibus, cum partium jura censuris adjuvari posse pronunciarunt.

16. Quod eadem sess. c. 19. Synodus Regem excommunicat & privat ea civitate ac loco, in quo duella committendi copiam fecerit: id Regis auctoritati pugnare, qui nulla ditionis suæ parte privari potest, quia quantum ad ea pertinet, nullum superiorem ullatenus agnoscit.

17. Quod cap. seq. Synodus decernit ac præcipit, ut sacri canones & concilia generalia omnia, nec non aliæ Apostolicæ sanctiones in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editæ, quæ omnia præsentis decreto innovat, exacte ab omnibus serventur, late nimis hunc artic. conceptum esse: nam si locum haberet, ex eo sequeretur, ut cunctæ decretales constitutiones, totus liber VI. a Bonifacio VIII. additus, cunctæ extravagantes, atque adeo regulæ Cancellariæ Romanæ omnes servarentur, quarum pleraque tamen nunquam in Francia servatæ sunt, sicque juri dictio Regia penitus enervaretur, & per immunitatem, quam sacer ordo per eas sibi vindicat, omne tributorum & subsidiorum ad Regni tutelam a Regibus impostorum onus in ordinem plebejorum recideret.

18. Quod ibid. c. 21. edicatur, ut omnia, quæ de morum correctione atque Sacra disciplina in ea sacra Synodo statuta sunt, ita decreta sint, ut in his salva semper auctoritas sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur: id pugnare cum Senatusconsultis, quæ sæpius pronunciarunt, non licere summo Pontifici gratiam facere Ecclesiasticis in iis, quæ sanctis decretis & Conciliis sancita sunt, & quotiescunque ab executione diplomatum pontificiorum, tanquam ab abusu, quod contra Concilia lata essent, appellatum est, ea nulla & abusiva declaravit: Sicque Sanctorum decretorum & Conciliorum auctoritatem in Francia conservatam fuisse, tum hoc articulo appellationum ab abusu remedium tolli, atque una sancta conciliorum omnium decreta, & hujus ipsius, quod ita receptum esset, aboleri.

19. Quod vero sess. XIII. c. 8. & sess. XXIV. c. 5. edicatur, causas Episcoporum criminales coram Pontifice referri ac per ipsam terminari debere,

C

etiam

etiam cum de concubinato agitur: id auctoritati provincialis Synodi & Metropolitanorum adversari, ad quos jure competit de causis Episcoporum cognoscere, saltem in criminibus, in quibus minime requiritur; ut a munere suo deponantur: item adversari Regis, & ejus Magistratum auctoritati, quibus jus est, inter hujusmodi personas de casu privilegiato cognoscere excluso summo Pontifice & aliis Ecclesiasticis, etiam si Episcopi vel Archiepiscopi fuerint.

20. Quod ead. sess. XXIV. cap. 20. dicitur, quasdam causas esse, quæ juxta Canonicas Sanctiones apud sedem Apostolicam sint tractandæ; alias idem, quas ex urgenti justaque causa judicaverit Rom. Pontifex per speciale rescriptum propria manu subscribendum committere aut evocare: id vero pugnare contra libertatem ecclesiæ Gallicanæ, & contra decretum *de causis* in sanctione pragmatica, quod ex Constantiensi & Basileensi Concilio transcriptum est.

21. Quod sess. VII. c. 6., sess. XXIV. cap. 12., sess. XV. cap. 9. Synodus potestatem facit Pontifici uniones Sacerdotiorum, quanquam nullas nec rite factas, confirmare; item gratiosas dispensationes concedere, & ultimarum voluntatum vota commutare: hæc duo contra Conciliorum auctoritatem & Senatus consulta statuta fuisse, quæ uniones, extra casus in jure positos, factas; item gratiosas contra concilia dispensationes nullas & abusivas & potestati supremæ Regis ac Magistratum ejus intra regni limites ex adverso repugnanteis sæpius declararunt.

22. Præterea Synodum multa Episcopis committere peragenda, auctoritate Apostolica, quæ illi facere possunt & debent auctoritate ordinaria; ut in sess. V. cap. 1. & 2. sess. VII. cap. 6. & 8. sess. XXI. c. 3. ac sequentibus usque ad 8. sess. XXII. c. 5. 6. 8. sess. XXV. cap. 9. Hoc etiam Senatusconsultis repugnare, quæ hujusmodi executiones auctoritate Apostolica factas abusivas pronunciarunt, & ipsis Ecclesiasticis onerosas: quorum causæ si quidem potestate ordinaria ferretur sententia, per appellationem ad Archiepiscopum tantum devolverentur; per hæc autem verba auctoritate Apostolica cogi illos ire aut Romam mittere, ut iudices delegatos habeant: Id etiam non mediocriter Metropolitanorum jurisdictionem labefactare. Postremo iis ac plerisque aliis locis Synodum omne omnino ab Episcopabilibus judiciis appellationes tollere; quod contra appellationum ab abusu in
Fran-

Francia semper usurpatarum libertatem constitutum est, quæ tribus in casibus locum habent, quando S. S. Conciliis & constitutionibus Regiis aliquid contrarium decernitur, aut jurisdictioni Regiæ præjudicium affertur. Hæc quum Johannes Magister & alii in publico conventu sibi comperta dicerent, quæ Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus & Regni juribus ac immunitatibus adversarentur, magna gratulatione a quibusdam accepta, ab aliis qui numero vincebant, in offensionem versa sunt. Pontificius Legatus, qui cum res communicata est, cum vereretur, ne contentione ob id inter delegatos excitata conventus turbaretur, offensionis sensum ad tempus pressit, & opportuniorem occasionem operiens, negotium urgere desit; jam enim voces passim audiebantur, libertatem publicam per Tridentini Concilii promulgationem opprimi querentium & colloquii conditi tempus instabat, per quod prudentioribus inter eos periculosum videbatur, rem tot difficultatibus implicatam aggredi. *Hætenus Thuanus.*

§. VII.

Quanto ambitu contineatur dissensus Ecclesiæ Gallicanæ a Concilio Tridentino, ex inspectione articulorum patet, quos modo laudavi. Illud nunc restat discutiendum, an ille dissensus in sola disciplina Ecclesiastica & moribus terminetur, an vero etiam ad ipsam fidei doctrinam sese extendat. Equidem qui salvam volunt Tridentini auctoritatem, nullam ajunt in fide discrepantiam esse, pugnam omnem circa externam Ecclesiæ disciplinam, ritus et consuetudines versari: in quo libertatis suæ jura tueri possit Ecclesia Gallicana, ne tamen quicquam Concilii Sanctissimi auctoritati derogetur (a) quod tamen inane tantum est effugium. Si vel maxime lis esset tantum de disciplina Ecclesiastica, num ordinationi Tridentinæ impune sese subducere poterit Ecclesia particularis? num anathema spernere? num ritus & consuetudines suas universalibus decretis anteferre? num denique canones suos opponere canonibus Concilii, quod Concilium omnium Conciliorum audit? ut supra nos docuit Du Pleix in Historia Fran-